



§. I.

### INSTITVTI RATIO.



QVOD omnes philosophi solent in ratione iura docendi reprehendere, iurisconsultorum multi fatentur, pauci, quia non intelligunt, irrident, esse id arti nostrae dedecori, et fieri cum summo eorum, qui iura addiscere cupiunt, detrimento, quod nec in definiendis rerum notionibus, neque in partitione earum et diuisione curate satis versentur doctores in scholis, id ipsum, fateor, et ego satis animaduerti, et saepius reprehendi, et omni diligentia vitare studui. Cuius quidem rei quum causam interdum diligentius anquisuerim, putavi, eam duorum potissimum fontium oriri ex aliquo. Primum enim recte adserere mihi videor, esse id genus definitionum, quod ad iurisprudentiam pertinet,

A

pertinet,